

Willelmus comes Abrincatinensium in¹⁾ villa Beuron aream²⁾ ad construendam aeccliam, alteram quoque ad molidinum inibi faciendum pro suarum permisit³⁾ redemptione culparum.

29. Albericus comes Nandonensium⁴⁾ sui iuris alodum, in Altissioderensi territorio situm, Dei genitricis Marię plene devotionis largitus est munere.

Ademarus et Petrus, duo germani fratres⁵⁾, Lemovicę urbis comitatu insignes, quindecim modios vini, quos dono fiscali a Salensi loco accipiebant, annuatim pepercerunt voto unanimi.

Ingelbaldus quosdam suę ditionis servos abbati Gauzolino triginta solidorum venundatus est pretio.

Teudo Stampensis alodum paternę hereditatis in eodem pago Floriacensi delegavit conventui.

Beatrix Nandonensium comitissa non minima terrarum hisdem diebus donavit nobis predia.

Tetbertus aeccliam Saligniacus dictam, Odo etiam Dolensis servos et ancillas de curte Belgica a fluvio Ligeris in antea mente obtulerunt piissima.

Dagobertus et Gauzfredus, duo fratres germani, partem suę hereditatis cum casa Dei Deo et sepius repetito confessori letis largiti sunt animis. Haec et alia innumera quique nobilium obtulere sollempni conscriptione.

30. Bernardus⁶⁾ eiusdem loci nutritius, postmodum Caturcensis episcopi summus presul constitutus, inter reliqua suę devotionis donaria, tria miri operis obtulit pallia. Medietatem insuper frontalis eiusdem sui institutoris auro gemmisque venustavit, his versibus deinceps pretitulatis:

Hoc, Benedicte⁷⁾, tibi Bernardus contulit aurum,

Presul dante Deo et tuus ex monacho.

31. Post hunc Arnaldus, comes Wasconum, tredecim vasa specie solidata argentea, geminasque arabici⁸⁾ metalli libras, zonas quoque olosericę texture, LXII^o nihilominus pallia, triaque mirę elegantię atque quantitatis tapetia, aliaque innumera ab ipsa beato confessori direxit patria. Quo in loco monastici tirocinii usus esset iam militia, si ei omnipotens rerum longioris vitę contulisset spatia. Sed eo morte preventivo, Arsindis, eius coniunx venerabilis, votum mariti implere studuit. Ergo seculari habitu mutato, rebus, patria, mundanęque laudis honore abdicato, multis terrarum interstitiis transgressis, ad Floriacum solum pervenit. Quam venerabilis pater

1) in fehlt in der Hs. 2) Beuron auf Rasur; aream von späterer Hand übergeschrieben. 3) So in der Hs. 4) Graf von Château-Landon oder Gâtinais (Delisle). 5) Hs.: fratri. 6) Cfr. Gallia christ. I, 125 und 126 (Delisle). 7) Hs.: Benedicti. 8) Hs.: arabici.